



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Dæmones improbi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

**A**lii per animalia quæ in aquis degunt, improbos dæmones significari tradiderunt, ut in sacris & teris Jonathas Chaldaeus interpretatur, & superius, ubi segregatas aquas ab aquis expositimus, aliorum quorundam sententiam idem sententium recitavimus. Sane Magi dæmonas aqueos dicunt, lasciviam libidinique præfectos, & marinos deos vetustas omnis pro hieroglyphico lasciviam posuit. Et pisces maris Buthimius ait positum pro dæmonibus, qui inter vitæ nostræ fluctuationes verfantur, & in amara pravorum falsugine vitam ducunt.

## GENTES. CAP. XVI.

**I**n Christianæ vero pietatis institutionibus, gentes quæ divinum cultum nondum susceperant, per pisces indicabantur. Atqui gentes hujusmodi dæmonum cultui passim dediti erant, quæ piscatoribus hæc à Deo provincia demandata, ut pisces in sacerdotum imperia redigerentur. Porro Assertor noster in Evangelio pisces alios comest, quod indicat, sacrificium quod offertur Deo non elixum, sed asium esse debere, fidem quippe veluti igni probatam, & sancto ferventem Spiritu offerendam. Eodem respicit, Ambrosio teste, Servatoris ejusdem nostri dictum in Evangelio, simile esse cæli regnum reti misso in mare, quod piscium genus omne congreget, quæque ibidem subsequuntur: ubi nimirum de mortalium animis sermo est, quæ ad sanctioris vitæ institutionem attrahantur. Quin & Propheta cum de piorum congregatione loqueretur, super maria fundatam eam dixit. Apertissime Esaias: *Ecce, inquit, gentes quasi siliæ stivula.* Septuaginta sic reddiderit, *Sicut aqua multa,* quod idem est.

## IGNORANTIA. CAP. XVII.

**S**quamatum quidem & pinnulatum piscium genus satis expositum est ex Origene, quæ scilicet & jus hominis hieroglyphica sint, qui veterem possit hominem exuere: ideoque omne quod habet squamas & pinnulas, tam in mari quam fluminibus & stagnis, electo populo comedere concessum est. Illud addendum ex Hesychio, squamas ignorantiam hieroglyphicum esse, quæ quidem opera beneficioque scientiæ excuti amoverique possunt. Id in Paulo liquido demonstratum, qui cum veritatem ignoraret, cæcus factus est: addita vero Christi doctrina, quam Ananias ei prædicavit, ceciderunt utique squamæ ab oculis ejus, & mox vidit.

## AQUÆ CAP. XVIII.

**A**sfyriorum vero religio fuit, ut piscibus abstinerent in Rheæ venerationem, quæ quidem ea lris dea erat, quæ pluviis potissimum dominatur: *piscis enim fluo est:* putabant enim illi ex aqua & aère naturam rerum præcipue constare: proque unda pisces, pro aère Columbam venerabantur, quæ suo loco dictum.

## FACELITIS. CAP. XIX.

**Q**uamvis alii factum hoc in Facelitis deæ, quæ Veneris fuisse filia perhibetur, cultum asserant, eamque olim in piscem commutatam, quam Syrii pro dea coluere, atque in ejus honorem Basilio referente, pisces argenteos in templa detulere. Chalon amnem in Syria ponit Xenophon, in quo magni & mansueti pisces, quos Syri veluti sacrosanctos habent, eosque violari, æque ac Columbas nefas putant.

## DERCETO CAP. XX.

**Q**uin & Derceto, sive, ut tradunt alii, Atargaten, muliebri effigie, quæ in piscem ab umbilico deo generet, summæ venerationis deam in templis apud Alcalonem habuere. Et ut his finem imponamus, Oxyrynchitæ Ægypti populi piscem urbis suæ cognomine sommo cultu pro dea coluerunt, hique Canem & mactare & esse soliti sunt, in Cynopolitarum ignominiam & opprobrium, quod illi piscem Oxyrynchum apud se pro deo habitum, comedere non verecundarentur. Cynopolitarum enim deus Anubis fuit, quem canino, ut suo loco dictum, capite faciebant.

*Hieroglyphicorum Tomi primi finis.*